

Vergilius, *Aeneis I*, 1–11

*Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
litora, multum ille et terris iactatus et alto
vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem 5
inferretque deos Latio, genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.

Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
quid ve dolens regina deum tot volvere casus
insignem pietate virum, tot adire labores 10
impulerit. tantaene animis caelestibus irae?*

P. Ovidius Naso, *Metamorphoses I*, 89–112

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat. 90
poena metusque aberant, nec verba minantia fixo
aere legebantur, nec supplex turba timebat
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuta.
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
montibus in liquidas pinus descenderat undas, 95
nullaque mortales praeter sua litora norant;
nondum praecipites cingebant oppida fossae;
non tuba derecti, non aeris cornua flexi,
non galeae, non ensis erat: sine militis usu
mollia securae peragebant otia gentes. 100
ipsa quoque inmunis rastroque intacta nec ullis
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,
contentique cibis nullo cogente creatis
arbuteos fetus montanaque fraga legebant
cornaque et in duris haerentia mora rubetis 105
et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.
ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
mulcebant zephyri natos sine semine flores;
mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
nec renovatus ager gravidis canebat aristis; 110
flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Lucretius, *De rerum natura* I, 1–5

*Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare nigerum, quae terras frugiferentis
concelebras, per te quoniam genus omne animantium
concipitur visitque exortum lumina solis:*

P. Ovidius Naso, *Tristia* IV, 10, 1–10

*Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,
quem legis, ut noris, accipe posteritas.
Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
milia qui noviens distat ab urbe decem.
editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris, 5
cum cecidit fato consul uterque pari.
siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
non modo fortunae munere factus eques.
nec stirps prima fui: genito sum fratre creatus,
qui tribus ante quater mensibus ortus erat.*

Pentadius, <*De Narcisso*>

Cui pater amnis erat, fontes puer ille colebat

laudabatque undas, cui pater amnis erat.

se puer ipse videt, patrem dum quaerit in amne,

perspicuoque lacu se puer ipse videt.

quod Dryas igne calet, puer hunc inridet amorem

5

nec putat esse decus, quod Dryas igne calet.

stat, stupet, haeret, amat, rogat, innuit, aspicit, ardet,

blanditur, queritur, stat, stupet, haeret, amat.

quodque amat ipse facit vultu, prece, lumine, fletu;

oscula dat fonti, quodque amat ipse facit.

10

Seneca, *Oidipús*, 449–465

Te Tyrrhena, puer, rapuit manus,
et tumidum Nereus posuit mare, 450
caerula cum pratis mutat freta:
hinc verno platanus folio viret
et Phoebo laurus carum nemus;
garrula per ramos avis obstrepit;
vivaces hederas remus tenet, 455
summa ligat vitis carchesia.

Idaeus prora fremuit leo,
tigris puppe sedet Gangetica.

Tum pirata freto pavidus natat,
et nova demersos facies habet: 460
bracchia prima cadunt praedonibus
inlisumque utero pectus coit,
parvula dependet lateri manus,
et dorso fluctum curvo subit,
lunata scindit cauda mare: 465